



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

V. Et Misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

lavit, fide illustravit, charitate accendit, & populo cœlesti toties me pavit: ad sacerdotium regale, aliósq; per Sacramenta sanctificandos me evexit: Laudabo igitur eum qui potens est & sanctum nomen ejus, cum quatuor Sanctis Animalibus concinens: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. *Apoc. 4. 8.*

V. Et Misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

Meritò ampliùs magnificat anima mea te Domine, & spiritus meus in te Deo saluari meo exultat: quia misericordia tua non mihi tantùm exhibita est, verùm etiam tot Electorum millibus, ex omnibus tribubus, populis & linguis, omnibusque nationibus, quæ sub cœlo sunt, quibus exortus Sol justitiæ lucis fidei & gratiæ radios diffundit, diffundetq; usque ad consummationem seculi, à progenie in progenies, obsequentibus & timentibus eum.

VI. Fecit potentiam in brachio suo.

Virtutem suam ostendendo, non solum in mundi creatione, gubernatione, prodigiosa populi Israëliti ex Ægypto educatione